

pro maldro siliginis dimidia marca et tantum pro hordeo²⁾, pro maldro vero avenae ferto generaliter persolvatur. Et formam istius solutionis sive modum dictus dominus episcopus Misinensis una cum voluntate capituli sui ibi existentis elegit pro se et pro toto clero civitatis et diocesis Misinensis, ita quod ab ista forma et via decimae solutionis sibi nec eis liceat recedere toto tempore quo decima debet solvi. In cuius rei testimonium praesentem litteram collectoribus deputatis a nobis dedimus dicti patris domini Misinensis episcopi et capituli ac nostri sigillorum appensionibus roboratam. Datum anno dom. M°. CC°. LXX°. quinto, sexto Kal. Septembris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv mit den an drei Pergamentstreifen hängenden Siegeln des Bischofs, des Capitels und des Probsts Rayner.

2) *ordio* Orig.

No. 241. 1276. 8. Nov.

Das Benedictinerkloster Bosau bei Zeitz verkauft einige seiner entfernt liegenden Besitzungen an das Stift Meissen.

In nomine domini amen. Ad imprimendum memoriam praesentium futuri temporis hominibus expedit, ut acta digna memoria scripturarum elucidatione sic serventur integra, quod futuri temporis hominibus circa gesta veritatis evidentia pateat incorrupta. Hinc est quod nos Heinricus dei gratia abbas, Albero prior totusque conventus ordinis sancti Benedicti ecclesiae in Pozowe recognoscimus et tenore praesentium protestamur, quod cum propter karistiam plurimam et diversa terrarum pericula ecclesia nostra apud Judaeos ad usuras esset plurimum obligata, nec inde sine bonorum distractione se posset eripere, deliberatione habita super ipso proprietatem, quam habebamus in Kiwiz^{a)}, de qua propter nimiam eius distantiam modicus vel nullus nobis usus poterat provenire, venerabili in Christo patri domino Witegoni Misnensi episcopo pro centum nonaginta et quinque marcis examinati argenti ipsam vendidimus eamque sibi et ecclesiae suae cum omni iure et utilitate, quae inerat vel inesse poterat in futurum, videlicet cum iure patronatus ipsius ecclesiae, censu, silvis, pratis, iudiciis, virgultis, quatuor mansis in Gezemisiz^{b)}, duobus solidis in Mokeruz^{c)}, decem aratris servientibus ter in anno, et viginti septem falcibus bis debentibus metere, de communi consensu contulimus et resignavimus simpliciter perpetuo purae proprietatis titulo possidendam, de manso quolibet fertonem unum et pullum recipiet annuatim, dantes eidem data nobis ab antiquo privilegia super ipso. Ut autem haec firma et inconvulsa permaneant, nec aliqua super ipsis in posterum suscitetur quaestio nocitura, praesentem paginam desuper conscriptam dicto domino episcopo et suae ecclesiae dedimus nostri et conventus nostri sigillorum appensionibus roboratam. Testes huius dominus Cunradus dictus de Gozeh, dominus Hermannus confratres nostrae ecclesiae, dominus Ekehardus de Milbuz, Martinus de Stuchowe, Borasch de Luscherowe milites, Tammo de Serusen, Nicolaus de Zimzelwiz, Heinricus Quaz et quidam alii fide digni. Actum et datum Kiuuiz anno domini M°. CC°. LXXVI°. VI°. Idus Novembris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv mit den Siegeln des Abts und des Convents an von der Urkunde selbst abgetrennten Pergamentstreifen.

a) Kiebitz, Eph. Leisnig. b) Jessnitz, Par. Kiebitz. c) Mockritz, Eph. Leisnig.